



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum Sacramenta sint solùm ex institutione diuina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

stitutum propter characterem, cum principaliter sit institutum ob bonum Ecclesiæ, ut videlicet in Ecclesia essent aliqui qui alijs Dei dona ministrarent; quia tamen ad hæc dignè præstanda requiritur gratia in ministro, secundario fuit institutum ad gratiam conferendam.

QVÆSTIO LXIV.

De causa Sacramentorum.

ARTICVLVS I.

Virum solus Deus operetur ad effectum Sacramenti?

I.



IVVS TH. præfenti quæstione tractaturus de causa Sacramenti, & de auctoritate ad eius institutionem necessaria, hunc præmittit articulum, ut ostendat cuinam tanquam causæ principali conueniat interiorum Sacramentorum effectum attingere, & cuinam tanquam ministro possit competere.

Resp. Solus Deus est causa principalis, effectus Sacramenti.

Respondet autem solum Deum interius operari effectum Sacramentorum tanquam causam principalem, hominem vero posse operari tanquam ministrum. Prior pars patet quia solus Deus est causa principalis gratiæ, ut traditur 1. 2. quæst. 112. art. 1. est etiam solus causa principalis characteris. 2. pars patet ex eo quod Ioan. 20. dicatur, quorum remiseris peccata remittuntur eis; & ex forma absolutionis quæ ad sui veritatem requirit ut homo operetur effectum Sacramenti, quod qua ratione verum sit, explicatum est supra q. 62.

ARTICVLVS II.

Virum Sacramenta sint solum ex institutione diuina?

2.

Resp. affir.

CONCLUSIO est affirmatiua: quæ potissimum intelligitur de Sacramentis nouæ legis; quamquam etiam de Sacramentis legis veteris possit verificari, quia etiam Deus illorum est auctor; ut patet tum ex Scriptura, tum ex eo quod præcipua legis veteris ceremoniæ ab auctore illius legis debuerint procedere. Sed est

D V B I V M.

Num omnia Sacramenta nouæ legis sint immediatè à Christo instituta?

Quidam DD. vult. negare.

QVIDAM antiqui Doctores videntur negare; item nostri temporis hæretici, sed Doctores infra explicabuntur, hæretici non tam negant Sacramenta à Christo instituta, quam aliqua quæ Ecclesia agnoscit pro Sacramentis. Itaque in præfenti quæstione non videntur formaliter differre à Doctores catholicis.

Conclusio affirmans. Trident.

Dico omnia Sacramenta nouæ legis sunt immediatè à Christo instituta.

Probatur 1. ex Concilio Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino*

nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, & anathema sit.

Probatur 2. ex Ambrosio lib. 4. de Sacramentis cap. 4. auctor Sacramentorum quis est nisi Dominus Iesus? 3. si Sacramenta essent instituta ab humana potestate maximè dicenda essent instituta ab Apostolis, qui tamen solum fuerunt dispensatores mysteriorum Dei. 1. ad Cor. 4. 4. satis constat Ecclesiam non posse mutare ea quæ sunt de substantia Sacramentorum, quod tamen posset si humana potestate essent instituta.

Petes quo certitudinis gradu conclusio sit tenenda? Sotus dist. 1. quæst. 5. art. 2. §. Dubitatio autem, censet quidem esse temerarium eam negare, non tamen hæreticum, cui subscribit Suarez disp. 12. §. 1. sect. 1. conclusio 1. Estius dist. 1. §. 16. censet tantum esse probabilior, ita ut alteri sententiæ probabilitatem tribuat.

Sed alij probabilius asserunt esse de fide, ita ut contrarium sit hæreticum, quod tandem de Confirmatione censet Suarez disp. 32. sect. 2. §. dicendum, idque propter prædictam Trid. definitionem, quæ tamen non aliter vrget de Confirmatione quam de alijs Sacramentis. Et tomo 4. disp. 39. sect. 2. idem censet de extrema vñctione, ex eodem can. & ex can. 1. de extrema vñctione, sess. 14.

Probatur 1. definitio Conc. Trid. relata id vult, si verba in proprietate sumantur, prout sumi debent verba Conciliorum in eorum definitionibus; ergo &c. Antecedens ostenditur: qui non instituit aliquid per se, sed solum alteri tribuit potestatem instituendi, non est dicendus institutore: cum ergo Concil. definit omnia Sacramenta nouæ legis fuisse à Christo instituta, censetur definire esse immediatè ab illo instituta.

Confir. ex eo quod Deus reliquerit Ecclesiæ potestatem leges condendi, leges quas condit Ecclesia non dicuntur diuinæ, nec dicuntur à Deo institutæ.

Confir. 2. idem Concil. longè aliter loquitur de ceremonijs præscripto Ecclesiæ in administratione Sacramentorum adhiberi solitis, eadem sess. can. 13. neque huiusmodi ceremoniæ solent dici à Christo institutæ, eo modo quo Concil. vult Sacramenta à Christo instituta; cum tamen ita dici posset si mediata institutio sufficeret ut aliquid dici posset à Christo vel Deo institutum.

Confir. 3. Concil. can. 1. citato vult nullum Sacramentum esse ritum humanum humana potestate præscriptum, contra hæreticos nostri temporis; quamvis ergo in sua definitione non posuerit particulam immediatè, sensus tamen verborum & scopus Concil. eam exigit.

Probatur 2. idem Concil. sess. 14. can. 1. de extrema vñctione, extremam vñctionem definiens à Christo Domino nostro institutam, & à beato Iacobo promulgatam, communi sensu censetur definire eam immediatè à Christo esse institutam; cum ergo in proposito can. 1. de Sacramentis in genere, eadem loquendi formâ quoad omnia Sacramenta vtatur, omnino dicendum velle definire singula esse immediatè à Christo instituta.

Dices, posteriori loco non tantum dicit Sacramentum extremæ vñctionis à Christo institutum, sed addit & à beato Iacobo promulgatum; item damnat docentes esse ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; quæ inculcatione satis ostendit se velle definire esse immediatè à Christo

à Christo institutum: can. autem 1. de Sacramentis in genere nihil simile habetur.

Resp. 1. ex ipsis primis verbis satis apparere Cōc. velle extremam vñtionem esse immediatē à Christo institutam, quamvis maioris claritatis causā apponant posteriora verba propter hæreticos, qui censent extremam vñtionem esse humanum inuentum.

Resp. 2. si quis contendat ex ijs non satis constare extremam vñtionem esse immediatē à Christo institutam, sed solum ex posterioribus particulis adiunctis, satis constat illam esse immediatē institutam à Christo, & proinde ex illo can. 1. de extrema vñtione constat Concil. in can. 1. de Sacramentis in genere voluisse definire extremam vñtionem esse immediatē à Christo institutam; cumque de illa sola aliquod dubium inter catholicos esse potuisset, patet quod cū Concilium definit Sacramenta à Christo esse instituta, velut definire esse immediatē instituta ab illo. Confr. Ecclesia semper existimauit fundamenta nostræ religionis à Christo esse relicta: Sacramenta autem præcipue inter huiusmodi fundamenta recensentur.

Antiqui Doctores qui ante exortas hæreses libenter loquentes videntur docere quod aliqua Sacramenta ab hominibus sint tradita, vt Magister dicit. 23. non videntur intelligendi de prima institutione, sed de promulgatione, ita vt solum velint extremam vñtionem ab Ap. post. nobis promulgatam, Iacobi 5.

ARTICVLVS III.

Virum Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiorum effectum Sacramentorum?

RESPONDET duabus conclusionibus. Prior est, Christus quatenus Deus operatur effectum Sacramentorum per auctoritatem, seu vt causa principalis; vt patet ex art. 1.

Posterior, Christus in quantum homo operatur effectum Sacramenti meritorie & efficienter, vnde in quantum homo habet potestatem quandam excellentie in Sacramentis. 1. quia nobis promouetur est effectum Sacramentorum. 2. quia Sacramenta in eius nomine sanctificantur, & inde 3. oritur quod Sacramenta potuerit instituere. 4. potuit etiam extra Sacramenta eorum effectum conferre.

ARTICVLVS IV.

Virum Christus potestatem suam quam habuit in Sacramenta, potuerit ministris communicare?

RESPONDET duabus conclusionibus. Prior est, Christus non potuit communicare potestatem auctoritatis quam habuit vt Deus, quia nulli pure creaturæ potest communicari virtus principalis iustificandi, & gratiam in anima cau-
landi.

Posterior: potestatem verò quam habuit vt homo, potuit communicare. 1. dando hominibus vim merendi virtutem Sacramentorum. 2. & vt in eorum nomine sanctificarentur Sacramenta. 3. & vt possent Sacramenta instituere. 4. vt etiam possent

extra Sacramenta eorumdem effectum conferre. Vbi

Notandum hanc potestatem communicatam puro homini, vel etiam Angelo, futuram longè inferiore potestate Christi illi competente ratione vñionis hypostaticæ, quia nulla pura creatura potest de rigore iustitiæ promereri alijs gratiam, vel in Sacramento, vel extra Sacramenta conferendam.

Hic vero quaeritur num pura creatura posset ex tali communicatione potestatis Sacramenta instituere? Negat Scotus distinct. 1. quaest. 3. §. *De secundo dico*. Immo idem sentit de humana Christi natura. Scotus sequitur Vasquez disp. 135. cap. 2. num. 21.

Alij asserunt, D. Th. hic, Scotus dist. 1. quaest. 5. art. 4. §. *an forsan hic*; & alij, quorum sententia videtur verior, quia nihil obstat quò minus Deus ita se gerat cum homine, vt si ille velit instituere signa gratiæ conferendæ, Deus se illi adstringat ad gratiam conferendam per huiusmodi signa; quo casu talis homo posset dici moraliter per illa signa gratiam causare, & proinde posset dici Sacramenta instituere.

Ex quo patet responsio ad rationem contrariæ sententiæ. nam licet ad rationem Sacramenti nouæ legis, de quo potissimum quaestio intelligitur, requiratur vt sit signum efficax gratiæ, nulla autem pura creatura propriâ auctoritate possit huiusmodi signa instituere; potest tamen concessione diuina, Deo vt dictum est ex liberali promissione illis signis gratiam annectente.

Aduerte quod licet hæc potestas puro homini communicari poterit, nulli tamen re ipsa fuerit collata, ne vt ait August. tract. 5. in Ioan. Truus in seruo spem poneret, & non in Domino, videri potest alia ratio apud D. Th. responsione ad primum.

DVBIUM.

De legitimo Sacramentorum ministro.

LVTHERVS, vt refert Bell. lib. 1. de Sacramētis in genere cap. 24. docet omnes omnino homines & Angelos, etiam demones, esse Sacramentorum ministros, quia efficacia Sacramentorum non nititur qualitate personæ, sed Christi verbo & ordinatione. Censet tamen ad confusionem vitandam non oportere omnes vti ea potestate, nisi certis euentibus. docet etiam omnes Christianos æqualiter esse sacerdotes, & eandem vim habere in verbo & Sacramento, tamen si nemini ea vti liceat nisi consensu cōmunitatis, vel vocatione maioris.

Caluinus è contrario, eodem Bell. teste loco citato, ita negat hanc potestatem in verbo & Sacramento omnibus concessam esse, vt censeat ne quidem in extrema necessitate permissum esse feminis baptizare, sed hæc continent errores.

Et quidem dogma Lutheri apertè damnatur in Concil. Trid. sess. 7. can. 10. de Sacramentis in genere. Contra Caluinum facit cōstans sensus Ecclesiæ, secundum quem baptisimus in extrema necessitate à femina potest validè, immò & licitè ministrari: de quo suo loco. Facit etiam quod, vt vidimus quaest. 60. art. 6. dubio 2. ad rationem Sacramenti requiratur verba conclamationis, quæ à femina possunt adhiberi, cum iuxta illum & alios hæreticos, illa verba solum adhibeantur ad excitandam in nobis fidem remissionis peccatorum. Itaque

Dico 1.

7.

Dubium.
Possetne pura creatura ex cōmissione Christi Sacramenta instituere.
Negat Scotus.
Vasq.
Affirmans est verior.
S. Thom.
Scotus.

Et istud tamen nulli concessum.
August.

8.
Error Lutheri.

Caluini dogma oppositum.

Refellitur. Trident.